



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

42. De bonis ecclesiasticis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

quibus serviunt relinquunt Ecclesiis.

De manso & decimis.

XL. Item sancitum est in Capitulari ne de manso Ecclesiæ, neque de decimis, neque de oblationibus, nec de domibus vel atriis juxta Ecclesiam positis, aliquod servitium faciant præter ecclesiasticum. Si aliquid verò ampliùs habuerint, inde faciant servitium senioribus suis.

Concil. Vvor-
mac. c. 50.
Lib. 1. Capi-
tular. c. 91.
Burchard. lib.
3. c. 52.

Ne quis de servili conditione promoveatur ad clerum.

XLI. Nulli de servili conditione ad sacros gradus promoveantur, nisi priùs à dominis propriis legitimam libertatem consecuti fuerint; cujus libertatis carta ante ordinandum in ambone publicè legatur; & si nullus contradixerit, rite consecrabitur. Porrò si postea de gradu deciderint, ejus sint conditionis cujus fuerant ante gradum.

Vide supra
lib. 1. c. 407.

De bonis ecclesiasticis. *Ex epistola canonica.*

XLII. Nullus Episcoporum, Presbyterorum, seu Diaconorum, vel etiam Clericorum, prædia Ecclesiæ in potestate habeat venundare, sed nec cuiquam parentum suorum donare; & qui hoc egerit, sub omni celeritate, reddito pretio, ad loca sacra in quæ competunt revertatur. Si autem, hac observatione contempta, aliquis hoc præsumperit, res proprias in ipsa Ecclesia relinquat, & ipse foris ejiciatur, eò quòd divina congruat ratione ut

qui Ecclesias accipiunt, ad regendum, non ad dispergendum, accipiant. Simili modo nullam habeant potestatem quolibet modo alienandum neque venundandum, sed nec sine voluntate Pontificis sui vicarios dandum, aut liberis dimittendum. Qui hoc præsumpserit, ut superius censuimus, si habet proprietatem suam, aliud tantum restituat. Si non habuerit, expoliatus omnibus foras ejiciatur. Ipsæ tamen res ad Ecclesiam, cujus res sunt, revertantur.

De patrimonio Clericorum. *Ex Concilio Meldensi cap. xx i.*

Vide supra
lib. 1. c. 219.

XLIII. Investigandum an nihil patrimonij habens Presbyter quando provectus est ad ordinem ecclesiasticum, postea emerit prædia, cujus juris sint, annon Ecclesiæ esse debent. Unusquisque enim Presbyter proprias res, quas post diem consecrationis acquisiverit, Ecclesiæ relinquat. Si autem alieno nomine res comparaverit, & ibi structuras fecerit, vel quæ ad Ecclesiam ibi Deo collocaverit, contra decreta canonum hoc malum agitur, quia sacrilegium est, & par crimen --- furis esse dignoscitur qui sacras oblationes furabatur.

De feminis quæ religionis vestem domibus propriis mutaverint, si postea concubitum elegerint, quid agendum sit.

Lib. 7. Capitular. c. 257.
Burchard. lib. 8. c. 48.
Vide supra in 1. Append. c. 62.

XLIV. De viduis & puellis quæ habitum religionis in domibus propriis tam à parentibus quàm per se mutaverint, & si postea contra instituta patrum vel præcepta canonum conjugia